



kem/3496(1-9)

553



45

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
PHYSIOLOGIA  
PARTVS.

---

QVAM ANNVENTE  
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA  
HALENSI  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIT,  
DIE XXX. IAN. MDCCC.  
AVCTOR

CAROLVS ERNESTVS GVILIELMVS  
STRUVE,  
PRIMIS LAVIA - UCAROMARCHICUS  
GOETTINGENS. ART. OBSTETR. AMANT.  
ET  
SOCIETATIS SOTERICAE GOTTINGENS. SODALIS.

---

HALAE,  
TYPIS IO. CHRIST. HENDELII.



VIRO ILLVSTRI  
CONSVLTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
**CAROLO ERNESTO STRUVE**

POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM  
A CONSILIIS IVSTITIAE,  
DIRECTORI MAGISTRATVVM PRIMISLAVIENSIVM,  
DYNASTAE MONASTERII ST. SABINAE,  
FRAEDII ELLINGEN ETC.  
ILLVSTRI ET  
SOCIETATIS OECONOMICAE,  
QVAE POTS DAMIAE EST, SODALI

**P A T R I**

OMNI QVA DECET PIETATIS CVLTV  
AD CINERES VSQVE  
COLENDO.

H O C

PRIMVM STVDIORVM ACADEMICORVM

SPECIMEN

LICET LAEVISSIMVM

I N

PERPETVAE PIETATIS AC GRATISSIMI ANIMI

MONIMENTVM

SACRVM ESSE VOLVIT,

NEC NON  
VIRO ILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**GVLIELMO MAGNO**  
**REHFELD**

MEDICINAE DOCTORI, PHYSICO TERRAE  
VCAROMARCHICAĒ,  
VRBIS PRIMISLAVIAE ET COLONIAE  
FRANCO - GALLORVM, QVAE IBIDEM EST  
ETC.

PATRONO  
AMICO PRIMOQVE IN ARTE SALVTARI  
MAGISTRO,

V H A S  
STVDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS

I N

ANIMI DEVOTISSIMI TESSERAM

OBTVLIT

A V C T O R.

## PROOEMIVM.

Timide, profiteor, eam ad physiologiam spectantem materiam aggredior, quam celeberrimi physiologiae cultores vel silentio praeterierunt, vel, ut nobis quidem videtur, iusto brevius tractaverunt. Pauci profecto huius rei auctores numerantur, quod tamen a proposita quaestione me revocare plane non potuit, quippe eo benignius fore de me, prium scribente, arbitrorum iudicium existimavi. Veteres et prisci naturae humanae perscrutatores partus historiam in disciplinis physiologicis vel plane non tractaverunt, vel ita laevissimo modo, ut multa, quae ad eandem pertinere

videantur, in iis frustra quaeramus. Partus autem adiutores eius mechanismum explicandi et quaenam in difficultioribus partibus auxilia sint praestanda, docendi, negotium suum esse existimantes, de eiusdem physiologia vix aliquid disputatione. Quae quum ita sint, aequos arbitros benignius potius, quam severius de meis primitiis secundum morem academicum conscriptis iudicium ferant, iterum iterumque peto. Timeo, ne forte multa, quae hic a me tirone in arte salutari disputata sunt, mihi ipsi post plures annos non placitura sint, quare idem nunc accidere medicis optime imbutis praevidentes, ipsis primum scribentibus voluntatem potiorem esse quam vires, in mentem revocare necessarium videbatur.

DE



DE  
**PHYSIOLOGIA PARTVS.**

**CAPVT I.**

QVID SIT PARTVS,  
ET QVISNAM SANVS SIT NOMINANDVS.  
DISQVIRITVR.

§. 1.

**C**oitu foecundo peracto, foetus in utero materno bene nutritus, sub fine vel septimi vel octavi mensis caput ad uteri os, quod cum imo ventre gravidae multas immutationes, quarum tamen propter brevitatem mentionem non facimus, demittit, et spatio quadraginta hebdomadum<sup>1)</sup> (a conceptione scilicet) partus hora adeat.

§. 2.

1) Bene monet cl. OSIANDER in libro inscripto:  
*Hebammenbuch*, §. 254. „Die Rechnung der vierzig  
Wo.

## §. 2.

Partus igitur est id naturae negotium, per quod foetus, eius involucra et placenta e matris gremio excluduntur; ipsumque vel secundum sanitatis leges vel contra easdem peragitur, alterum alias naturale, alterum minus naturale vocabatur. Eum solummodo partum, qui secundum sanitatis leges peragitur, hic paulo accuratius perscrutabimur, qui minus, in arte obstetricia tractandus videatur.

## §. 3.

Ad partum physiologice peractum, quem censemus, hae res requiruntur:

A) Quae matrem spectant:

i.) Pelvis materna rite constituta, neque vel dextrorsum vel sinistrorsum flexa,  
ne-

Wochen fängt nicht mit der Zeit an, da das Monatliche zum erstenmale ausbleibt, sondern mit der Woche, vor welcher das Monatliche zum letztenmale da gewesen, im Fall es gleich nach der Schwangerung ausgeblieben ist. Die Niederkunft wird dann, wenn Alles ganz natürlich zugeht, in diejenige Periode fallen, in der das Monatliche nach seinem letzten Erscheinen zum zehntenmale häste wieder kommen sollen.

neque vel antrorsum vel retrorsum inclinata, neque excrescentiis vitiata, reliq.

- 2) Axis pelvis cum uteri axi conveniens.
- 3) Mater ne ullo morbo, per quem partus posset turbari, neque spasmis, neque convulsionibus laborans; partus dolores rite constituti.
- 4) Partus iusto tempore peractus.

#### §. 4.

B) Quae prolem spectant:

- 1) Foetus et sanitate et iusta cum pelvi materna ratione gaudens.
- 2) Caput foetus remanentibus reliquis partibus ex utero materno transeuns.
- 3) Occiput tangens os pubis sinistri lateris fronte quidem profundius.
- 4) Caput viribus matris modice intentis obstatculo nullo praesente e pelvi exeuns.
- 5) Reliquae foetus partes levi nixu provenientes.

#### §. 5.

Iam igitur breviter exposuimus, quinam partus secundum sanitatis leges peractus nobis



videatur, quem igitur hic tractare constituimus. Nisi in partu omnia, quae diximus, convenient, eum minus sanum vel pathologice peractum iudicamus. Quod autem, ut omnem errorem evitemus, praemonendum videbatur, quum, quia alii in arte obstetricia versati non rite inter se conveniant partum sanum, sive ut dicunt, naturalem definientes, tum, quia alii, e. c. BAUDELOCQUES ac cl. MECKEL<sup>2)</sup> omnes eos partus, qui facile et sine incommodo perficiuntur, sanis adnumerent.

### §. 6.

Quorum sententiam refutare tamen nullo modo aggredior, quum neque ingenio, neque doctrina neque experientia tiro se debeat comparare cum iis, quos in singulis excellere constat. Rationes autem aliquas adiiciam, quibus ductus a cl. viris STEINIO<sup>3)</sup> nempe et OSIANDRO propositam na-

tu-

<sup>2)</sup> BAUDELOCQUES *Entbindungskunst*, herausgegeben von MECKEL. Erste Aufl. Bd. 1. S. 214.

<sup>3)</sup> STEIN's theor. Anleit. zur Geburthilfe. Zweite Aufl. Th. 1. S. 134.

turalis partus definitionem meam facere non dubitaverim.

§. 7.

Evidem censeo, in diiudicanda alicuius functionis conditione utrum vel sana sit vel morbosa, id potissimum esse respiciendum, quomodo ea plerumque cernatur, hanc enim eiusdem conditionem sanitati convenire sine dubio licet colligere. Quo concessso, quum in arte obstetricia versatissimus quisque profiteatur, longe plurimos ac felicissimos partus capite primum nato absolvi, eiusmodi partus solummodo sanos sive naturales esse perhibemus. Quod vero physiologis perfectissimam sanitatis rationem quaerentibus non sufficit, ii igitur postulant, ut caput in eo situ sit, quem antea (§. 5.) commemoravimus. Cuius rei veritatem optime probat, ut nobis quidem videtur, cl. OSIANDER. Vere simile est,<sup>4)</sup> ait, placentam ei lateri inhaerere solitam esse, cui post conceptionem plerumque incumbit gravida, quare, quum plurimae dormiant dextro

4) *De causa insertionis placentae in orificio uteri.*

tro lateri incumbentes, placentam quoque longe plurimum eidem adhaerere invenimus. Placentam sequi situm gravidarum exemplo Ianifcae studet comprobare, cui placenta dextrorsum quidem sed profundius, quam aliis haerebat, quippe in hoc loco cadebat quietis pnnctum quum muneribus suis fungeretur. Plura sine dubio eiusmodi exempla non deessent nobis, nisi foeminarum pudicitia saepe de placentae adhaesione loco quaerere interdiceret.

### §. 8.

Quodsi constat, in felicioribus partibus placentam dextro lateri adnexam inveniri, infantis quoque situm ita esse, ut antea perhibuimus, dubitari amplius non potest. Passim partus, qui nobis videntur minus sani, celerius faciliusque peragi, quam nonnulli eorum, in quibus caput primum nascitur, non denegamus, illos autem antea descripsit vere sanis sive naturalibus celerius faciliusque unquam finiri denegamus. At licet facilius peragentur partus, ii, qui nobis  
sani

sani non sunt censendi, id monendum habemus, ex hac levitate sanam eorundem conditionem nequaquam posse colligi. In diarrhoeis chronicis, ut exemplo rem illustremus, faciliores quam sanissima in conditione non raro perficiuntur sedes, in non-nullis morbis facilius non raro exercent vim suam animi facultates, in quibus tamen sanitatem adesse nullus certo contenderet. Quae autem pro mea sententia prolatata licet aliis fortasse non satis firma videantur, pluribus cumulare non libet.

## CAPVT II.

### SANI PARTVS HISTORIA.

#### §. 9.

Partus historia nobis est fida atque certa earum rerum, quae in parturientibus cernuntur et ab ipsis sentiuntur, relatio. In qua autem non explicandi sed narrandi locus datur. Mihi enim videtur, antea esse exponenda singula, ad partus negotium spectantia, priusquam eorum explicationem aggrediamur.

#### §. 10.



## §. 10.

Sanus partus et incipit et finitur cum doloribus vel magis vel minus parturientem vexantibus, proit vel magis vel minus secundum sanitatis leges peragitur idem. E doloribus aliisque nonnullis rebus, quae sub partu occurunt, omnis id temporis spatium, per quod ipse finitur, petita est in quinque periodos divisio. Alii partus adiutores 5) non nisi quatuor esse admittendas partus periodos contendunt, eam nempe periodum negligentes, in qua placenta uterum deserit. Quorum tamen sententiam nostram facere dubitavimus, quum placenta ad foetus involucra pertineat.

## §. 11.

*Prima* partus periodus id temporis spatium complectitur, in quo dolores praefagientes existunt et continuantur.

*Altera* id temporis spatium, in quo dolores praeparantes laeviunt, quod etiam periodus ingressus velamentorum in uteri orificio vocatur. 6)

Ter-

5) STEIN l. c. p. 163.

6) Haec periodus germanice *die Krönung* vocatur.

*Tertia* id temporis spatium in quo dolores ad partum parturientem vexant, quod etiam periodum progressus partium infantis in genitales dictum invénimus.

*Quarta* id temporis spatium, in quo dolores conquassantes sunt, sub quibus infans ex utero materno excluditur.<sup>7)</sup>

*Quinta* denique id temporis spatium, in quo et solvitur et propellitur placenta.

Iam autem partus historiam absolvamus, nulla tamen ratione habita periodorum, quas in tabula annexa exposuimus.

### §. 12.

Foecundus uterus per quadraginta hebdomades in statu quasi passivo commoratus iam quum in fundo sese contrahere tum os aperire incipit, ovi exitum parat. Quo aequalior est et fundi contractio et orificii distensio eo felicior saniorque peragitur partus, eoque mitiores sunt dolores parturientis.

7) Haec partus periodus germanice *das Einfachen* nominatur.

tis. Quod autem uteri negotium sine iure dolorum nomine, non nisi eiusdem effectum explicante, insignitur,<sup>8)</sup> licet ipsum vix umquam sine doloribus peragatur. Quum primum uteri fundus sese contrahit, parturiens sensu aliquo vexatur tenesmo optime comparando, qui torminum nomine (*das Kneipen, monchés*) venit. Quo magis autem foetus in utero procedit, eo graviores redduntur dolores, quia uteri contractionibus continuo maius obstaculum sese praebet. Contracto uteri fundo parturienti exoriuntur dolores, quos tamen excipit placida quies; quo proprius autem accedit partus, eo celerius dolores sequuntur, ita ut vix aliquod temporis momentum ab iis immunitur. Nunc parturientem vexat sensus contractionis a tergo incipientis, ventrem, partes genitales, et sub gravioribus doloribus pedes adeo petentis.

§. 13.

8) Dolorum, qui veri nominantur, hic solummodo rationem habemus, spuriū enim qui dicuntur in partus pathologia sunt tractandi.

## §. 13.

Iam a tricesima septima post conceptionem hebdomade aliquomodo gravidae venter collabitur, eo autem magis, <sup>7</sup> quo propius accedit quadragesima hebdomas, quippe in hoc temporis spatio infantis caput superiorem pelvis aperturam intrat. Facies gravidae valde nunc immutatur, musculi enim eiusdem stringuntur ita, ut ex sola facie praecipus primum parturientium partus horam iam praesto esse possit colligi. Multis cum doloribus parturientium vultus simillimus est ei, quem vel spasmis vel convulsionibus laborantes nobis offerunt. A capite uteroque descensis compressa vesica urinaria <sup>9)</sup> urinam guttatum stillat. Praeterea magna quoque muci copia fecedit, quem signum partus <sup>10)</sup> nominavere priisci in arte obstetricia clari. Ex eo autem fine iure appropinquare partum collegerunt, quum idem mucus iam longo a partu retro tempore in graviditate cernatur, et tanta non raro in copia, ut de

B 2

gra-

9) HALLERI *Elementa Physiol.* lib. XXIX. p. 314.10) ROEDERER *Elementa artis obfetr.* p. 83.

gravidis ambulantibus destillet. Vere simile oritur ex glandulis cervicis uteri mucosis a capite compressis et ad maiorem virium actionem concitatis.<sup>11)</sup> BAUDELOCQUES quidem censebat ad eius originem multum conferre liquorem amnii, quod tamen nullo modo probatum est. MANNINGHAM putabat, eum esse destinatum ad attritum foetus per vaginam exeuntis uti oleum aliquod imminuendum; SMELLIE vero eius utilitatem in eo quaerebat, ut foetus partum retardaret.

§, 14.

In parturientis laterē sinistro exploranti sese offert durities aliqua, nempe infantis tergum eiusque posteriora continens; in dextro vero alia minoris amplitudinis, quae attacta movetur, sunt pedes infantis. Caput durum tangitur, nec facile a situ suo antea commemorato removetur, supra ipsum vaginae fundus uti mitra extensus est. Labia oris

11) HALLER I. c. p. 430. MECKEL in annotationibus doctissimis ad BAUDELOCQUES I. c. p. 203. OSIANDER in libro *Hebammenbuch* p. 351.

oris uteri evanuerunt, ipsumque digitii magnitudinis est.

§. 15.

Aliquo temporis spatio praeterlapsso, inuenius, sanguine e vasis deciduae corrosis verisimiliter prodeunte tinctus, excernitur. Tunicae ovum ambientes, quas vesicam dicunt, ab aquis per caput protrusis extenduntur, atque os uteri per dolores exortos apertum intrant, his autem remittentibus denuo recessunt. Caput infantis sub singulis doloribus se vertit ita, ut rite possit pelvim intrare. Membranae vero tenues iterum iterumque extensae rumpuntur tandem et humorem ante infantis caput collectum fundunt. Qui humor sub nomine primarum aquarum (*die ersten Wasser*) notus, ab eo debet distingui, qui partu finito de puerpera fluit.

§. 16.

Aquis defluentibus infantis caput pelvim profundius intrat, quo sit, ut eiusdem tunicae hinc inde corrugentur; cuius rei tamen causa in eo quoque posita videtur,  
quod

quod capitis olsa per os uteri comprimantur.  
Parturientis arteriarum pulsus nunc celerius  
frequentiusque redditur, facies turget, om-  
neque corpus non raro sudore suffunditur.  
Quibus per aliquod temporis spatium conti-  
nuis sub doloribus caput pone partes geni-  
tales externas conspicitur. Quod quum su-  
pra intestinum rectum procedat, conatum  
alvum exonerandi vel adeo alvum laxam fa-  
cit, et quum vesicam urinariam comprimat,  
urinam retineri efficit. Perinaeum ita nunc  
distenditur, ac si caput viam sibi per hoc  
velit aperire, idem in frenulo labiorum ac-  
cidit, quod pellucidum et haud raro dis-  
ruptum cernimus. Quod tunc inprimis so-  
let accidere, vel quum parturientes suis co-  
natibus partum student promovere, vel  
quum parturienti adstantes inmissis in geni-  
tales digitis easdem rudi modo amplificare  
conati sunt. In motu circulari caput deor-  
sum propellitur, partes genitales externae  
magis magisque extenduntur, carunculae  
myrtiformes evanescunt et pudendorum la-  
bia decrescunt. Tandem infantis occiput  
sub

sub pudendorum arcu prodit id quod gravissimos parturientibus dolores concitat, ita ut non raro alta voce clamitent. Caput iam in mundum natum vel in dextrum vel in sinistrum latus sese convertit, nec humeri in utero contenti pristinum retinent situm, sed aequali modo conversi facile possunt eundem derelinquere. Quo facto aquae secundinae incipiunt fluere.

§. 17.

Infante in mundum nato dolores efficientes uteri conractiones celsant, ipsiusque extensio quam maxime imminuitur, nempe ad trium vel quatuor pugnorum. Qua uteri contractione efficitur, ut quoque vasa placentae immissa contrahantur, et deferant eandem. Quam placentae ab utero secessionem manu puerperae imposita nos posse comperire, a nonnullis in arte obstetricia claris, et inter eos praecipue a cl. OSIAN DER edictum est. Et propriae experientiae innixus contendeo, id sine omni difficultate ab attento medico cognosci. Quum placenta

ab

ab utero seiungitur, parturienti aliquantulum sanguinis e vasis retractis defluit, idque post breve temporis spatium praeterlapsum sequitur placenta.

### CAPVT III.

#### PARTVS SANI CAVSAE EXPONVNTVR.

§. 18.

Physiologis semper licuit et licebit in posterum, ibi, ubi certa experimenta vel desint, vel institui nequeant, hypotheses exstruere. Quarum etiam usum et utilitatem non denegaverim, licet veritatis speciem prae se ferant. Quam tamen non omnes hypotheses conditores respexerunt, multaeque numerantur hypotheses, quibus etiam ne aliqua veri species est concedenda. Omnis quidem physiologia multis hypotheses est ornata et locupletata, inter omnes tamen ad eam pertinentes doctrinas nulla tot tantisque, quam quae spectat utriusque sexus partes genitales. Licet igitur omnis aetas hypotheses de partium genitalium functio-

ni.



nibus férax fuerit, nec tamen ulla est, quam accipere et nostram facere possumus. Recen-  
tiores priscorum semper fere placita novis ver-  
bis paululumque immutata protulerunt, qua-  
re quum horum illorum quoque nobis haud  
placent. Novam igitur de partu hypothesin  
exstruxi, quam equidem a veresimilitate non  
abhorrentem censeo. Si forte erraverim, ve-  
niā mihi tironi non denegatam iri, spero  
rogoque. Priusquam autem mēam quale-  
cunque hypothesin proferam, aliorum hic  
exposuisse et diiudicatse e loco else videtur.

### §. 19.

Nonnullorum medicorum de causa par-  
tus opiniones iam breviter exponamus. Par-  
tus causam quum in foetu ipso tum in utero  
quaerunt physiologi. Celeberrimi viri HAR-  
VEY, MAITREIFAN aliique 12) in foetu  
positam esse partus causam censuerunt. Vti  
enim pullus membranas ac testam, quibus  
includitur, propria vi corrodit atque frangit,  
ita etiam foetum nasci perhibere non dubi-  
tarunt. Quod autem de pullo verum est,

non

12) *Formation du poulet*, obs. 1. p. 257.

non verum est idem de foetu humano, quum inter utrumque maxima intercedat differentia. Experientia docti scimus, saepissime in errores incidisse eos, qui, quod observaverant in animalibus homini valde similibus, id homini quoque non alienum esse perhiberent; quo, quaeso, facilius errent ii, qui quod de pullo, homini quam maxime dissimili, valeat, id de homine valere autument. In vaccis, e. c. aliisque quadrupedibus viviparis placentae loco invenimus corpora aliqua glandulosa, quae lacti simile fluidum continent, atque per canales ita inter se iunguntur, ut ex iis corpus placentae non dissimile exoriatur; id quod ante aliquot tempus in dissecta gravida vacca observare mihi ipsi licuit. Nonne autem is, qui ex analogia quum eiusdem indolis placentam esse homini, tum eam non sanguinem sed lympham continere colligeret, gravissimum committeret errorem? Multo autem incertiorum esse analogiam inter avem hominemque quis est, qui non concedat? Accedit practerea res omnino dissimiles esse inter se

com-



comparatas, pullus enim, quem ovum corrodere videmus, a longo retro tempore e matris gremio exclusus, h.e. partus est; foetus humanus vero nunc paritur, quum ovum maternumque gremium deserit. Ovi foetusque partus similes sunt res ac inter se possunt rite comparari; pulli vero ex ovo proventus foetusque humani partus res dissimiles sunt putandae, ideoque sibi nullo modo respondent. Quomodo ovum pariatur, hoc respicere debuissent. At misam faciamus hanc rem, quam pauci profecto vel nulli veram putent. In finem monuisse sufficiat, alios 13) ipsi foetui causam partus adscripsisse, quum insectae anguesque propria vi nascantur. Quam sententiam, quod supra iam monuimus, accipere non permittit.

### §. 20.

Nonnulli quum priscorum 14) tnm recentiorum 15) partus causam in liquoris amni

13) LYONNET *Insectothéologie*, p. 138. DU HAMEL  
*Insecte de l'Angoumois* p. 32.

14) HIPPOCRATES m. in l.

15) LOUIS *accouchem. tardif.* p. 54. TURRENAY II,  
p. 413. BAYLE *corps animal*, p. 659.

nii sub graviditatis sine inopia posuerunt. Nempe putabant, insanem, qui nutrimenti egeat, viam sibi quaerere, qua possit ex utero materno exire. Quam sententiam, licet nonnulla contra eandem possint monere, non sine veri specie esse censemus. Etenim liquorem amnii pro nutrimento esse foetui, secundum nostram quidem sententiam, negari nullo modo potest; id quod breviter demonstrare conabimur.

### §. 21.

Experientia docet,<sup>16)</sup> liquorem amnii neque ab eiusdem membrana neque ab utero reforberi, quomodo igitur posset imminui, nisi ab infante ipso consumeretur? Ceterum quo magis insans increscit, eo magis liquor amnii imminuitur.

### §. 22.

Deinde constat per observationes, foetus, quibus quum funiculus umbilicalis<sup>17)</sup> tum

16) STEINS theorer. Anleit. zur Geburtshülfe, §. 373.

17) STAALPART van der Wiel. cent. 11. obsf. 32. DENYS amit der Vroedvrouwen, p. 271. FACIO Heb. amm. p. 37 et 38.

tum vasa umbilicalia<sup>18)</sup> deerant, bene nutritos sanosque servatos esse. Quod quo alio modo potuit fieri, quam per liquorem amnii?

§. 23.

Tandem vidit cl. OSIANDER foetum, qui tunicis inclusus erat, et aperire os, et haurire deglutireque liquorem amnii; nec defunt similia ab aliis claris viris observata, GRUDER, HEISTER, VENETTE, GRAAF, ROEDERER etc. saepius in foetuum stomachis liquorem amnii invenerunt.

§. 24.

Quae omnia certo quidem docent, liquorum amnii infanti nutrimento inservire, ex eo tamen haud licet colligere, infantem sibi quaerere ex utero exitum liquore amnii plurimum consummato, ipsumque partus causam continere. Etenim constat, neque ibi, ubi copiam liquoris invenimus, solito serius accidere partus, neque ibi, ubi deficit idem, solito maturius eos provenire. Utrumque necessario observaremus si, quam putant, ve-

ra

18) RAV apud DENYS l. c. p. 198.



ra partus causa esset censenda. Profecto in solo infante quaerere haud licet partus causam.

§. 25.

FABRICIVS BOHN in foetus voluntate halitumque ducendi desiderio, quae eum liberam viam sibi quaerere iuberent, causam partus quaerendam else perhibuit. Inter omnes autem de re, quam tractamus, sententias nulla profecto est, quae tanto, quanto haec a veresimilitate recedat. Cur, quaeſo, semper circa quadragesimam hebdomadem halitum ducere desideret foetus? Num forte ex ea ratione, quia tunc temporis respirationis organa rite sunt constituta? At, neque voluntas neque desiderium possunt exoriri, nisi quum animus activus est, in foetu autem omnes animi facultates (sopitae iacent.<sup>19)</sup> Neque partum foetus potest adferre halitum ducendi necesitas, quae adesse negquit, dummodo ipse per placentam matri annexus est; tunc enim ita sanguinis circula-

tio

<sup>19)</sup> *Lehrsätze aus der Physiologie von G. PROCHASKA.*

§. 942.

tio peragit, ut respiratio non requiratur. Scimus enim sanguinem in placenta oxygeneo caloreque impregnatum per venam umbilicalem in infantis venam portarum pervenire. Aliqua eiusdem pars per canalem venosum in venam cava, maxima autem in hepar, cui materiam ad bilem parandam praebet, perfertur. Quae vero inde venae cavae quoque immittitur, per quam in dextram cordis auriculam transit. Sanguis ex auricula cordis dextra partim per foramen ovale in sinistram cordis auriculam, partim vero in dextrum cordis ventriculum, exque eo in arterias pulmonales impellitur. Quae quidem arteriae pulmonibus sanguinem adferre destinatae sunt, quum vero foetus pulmones compressi et aere vacui deprehendantur, paucam tantummodo illius copiam accipere possunt, et maior per ductum arteriosum Botalli arteriam aortam petit. Videmus igitur foetus oxygeneum, quod ad vitam necessarium videtur, e matre ipsa accipere, nec est cur ipse respirationis negotium desiderare debeat. Eget enim nulla ad vitam necessaria re, dum-

mo-



modo per placentam cum matre connexus est, haec autem coniunctio atque necessitudo non prius nisi partu peracto cessat.

§. 26.

CAROL. DRELINCOURT molestias e meconio proficilentes pro partus causa habuit. Putavit nimirum, foetum valde irritatum atque vexatum per meconium quaerere exitum e tunicis, in quibus involutus est; certe ut a meconii incuriis sese liberaret. Quam tamen theoriam et incongruam plane et nimium vetustatem olentem missam faciamus. Nequaquam per eam explicatum est, quomodo sit, ut circa quadragesimam hebdomadem a meconio vexetur infans, cur neque ante neque post hoc temporis spatium. Tum quoque si esset admittendum (quod nobis tamen non videtur), infantem a meconio posse turbari, cur non in materno gremio inclusus idem demitteret et ab incommodis sese deliberaret?

§. 27.

Haud veresimilior est opinio eorum, qui partus explicantes aquarum acrimoniam responde-

spexerunt; <sup>20)</sup> qua enim exorta uterum irritari et contrahi foetumque expelli perhibuerunt. In eo temporis spatio, in quo adlata hypothesis exstructa est, omnes corporis immutations in humoribus depravatis quaerebantur, quid mirum iisdem et partus negotium esse adscriptum? Multa autem eandem omnino esse reiiciendam testantur. Primum enim experientia docti contendimus, liquorem amnios plerumque ab omni acrimonia immum-  
nem inveniri, nec nisi mitissimum humorem lymphaticum esse. Quomodo, quaeſo, in his casibus partus peragi posset? Deinde nobis persuasum est, ibi, ubi liquor amnii ad tantum acrimoniae gradum pervenerit, ut irritando infantem ad graviores motus possit impellere, gravem esse statum morbosum, ex hoc autem non licet sani ſive ut dicunt naturalis functionis cauſam repetere. Aliter profecto de acrimonii ſentiunt recentiores quam priſci temporis medici.

### §. 28.

<sup>20)</sup> DENYS *amt der Vroedorouwen*, p. 315.

## §. 28.

Plane singularis est FANTONII 21) de causa partus opinio. Putavit nimirum insantem cum situ suo parum opportuno male contentum, ipsum velle commutare. Quod placitum autem, sine omni veri specie acceptum nobis nullo modo explicat cur circa quadragesimam hebdomadem accedat partus? Profecto si a sensu foetus ingrato partus penderet, magis irritabilis foetus maturius, minus vero irritabilis serius nasceretur, quod tamen non observamus, utrumque uno eodemque tempore a conceptione praeterlapsi nasci expertum habemus. Quo posito gemini etiam, quorum in utero situs semper incommodior, quam unius foetus est, ante solitum tempus in mundum prodirent, quod tamen experientiae repugnare scimus. Idem tunc necessario accideret, quoniam parva liquoris amnii copia praesente foetus a partibus adiacentibus solito magis vexaretur; at nec per hoc partus acceleratur. In aprico igitur est, FANTONII quoque opinionem uti reliquorum,

21) *Anatomia corporis humani*, p. 251.

rum, quas exposuimus, a veresimilitate longe recedere.

§. 29.

Praeter commemoratos scriptores plures physiologiae cultores in foetu ipso partus causam ponentes plura argumenta pro sua sententia adferunt, quorum hic nonnulla adieciisse non e loco esse censeo. Nempe observatum esse monent, foetus interdum post duos,<sup>22)</sup> tres<sup>23)</sup> aut quatuor<sup>24)</sup> adeo dies retro a matris morte esse natos, tunc, igitur propria sua vi.<sup>25)</sup> Quarum autem historiarum veritatem cum HALLERO maximo physiologo<sup>26)</sup> denegamus. Foetus ceterum, quos natos post matris obitum perhibuerunt scriptores nonnulli, non vivos, sed plerumque mortuos concedunt<sup>27)</sup> esse visos, quo con-

C 2

censo

22) *Ephemerides Societatis Nat. Curiosorum*, Vol. VII. obs. 128.

HÖCHSTAEDTER Dec. VI. cas. 3. KALMUS de *infantis partu post matris obitum*.

23) *Elementa physiologiae*.

24) Loc. cit.

25) HAGEDORN Cent. III. histor. 13.

26) I. c.

27) HÖCHSTAEDTER I. c. *Eph. Nat. Cur.* Dec. II. ann. 4. observ. 107.

celso partus causam in foetu nequaquam posse quaeri, per se iam appareat. Accedit quoque, maximam illorum foetuum partem, non nisi auxilio artis obstetriciae adhibito in lucem provenisse,<sup>28)</sup> uti LA MOTTE, PECHLIN, BÜCHNER aliique contendunt. Expositis atque refutatis aliorum sententiis iam nostram proponendam censemus.

NOVA DE PARTVS  
CAVSA HYPOTHESIS EXPONITVR.

§. 3o.

Quod ad me adtinet, causam partus in utero quaerendam esse censeo. Quod optime probari mihi videtur per eos foetus, qui, licet vita non gaudentes, tamen nati sunt. In foetu igitur partus causam quaerere non licet, ubi igitur eandem quaeramus nisi in matre ipsa. Quo concessio eo potissimum reddit quaestio, quisnam matris pars ad partum plurimum conserat. Quam partem uterum else, ego cum multis in arte ob-

28) *Ephem. Nat. Cur. Dec. II, ann. 2. obs. 32.*

obstetricia claris contendo. En rationes,  
quibus ductus hoc contenderim:

§. 31.

HARVEY, RUY SCH aliique clarissimi  
viri ex utero matris prolapso mortuum foetum  
exclusum viderunt. Quibus observatio-  
nibus rite probatur, neque in foetu ipso,  
quippe qui mortuus iam erat, neque in dia-  
phragmate vel muscularis abdominalibus, qui-  
bus BAUDELOCQUES plurimum tribuit, sed  
unice in utero ipso causam partus else po-  
nendam.

§. 32.

Obstetrix quaedam celebrata, nomine  
SIEGMUNDIN 29) vedit matrem immobilem  
putridum foetum expellere. Neque igitur  
musculi abdominales, neque foetus ipse par-  
tum potuerant promovere, qui itaque utero  
adscribendus videtur.

§. 33.

HARVEY cani parturienti musculos ab-  
dominales perscindens, eum tamen vedit ca-  
tu-

29) SIEGMUNDIN *Brandenburgische Wehmutter*, p. 31.



tulos suos excludere. Idem in cane obser-  
vavit VENETTE et in cuniculo GRAAE.

### §. 34.

RUYSCH<sup>30)</sup> uterum parturientem manu-  
retigit, eumque moveri, eminere manum-  
que foetus propellere vidit.

### §. 35.

Quae singulae observationes in utero  
sere solo contineri partus causam demonstra-  
re videntur. Quod etiam non est cur de-  
negemus, quum utero inesse tantam sepe  
contrahendi facultatem, quantam in reliquis  
corporis humani partibus vix deprehendimus.  
Quae autem unde est repetenda? Nonnulli  
docti viri eandem per uteri tonum sive  
elasticitatem explicare conati fuerunt, qui-  
bus

*30) Observationes med. chirurg. p. 93.*

*31) E. c. cl. WALTER, vid. Betrachtung über die Ge-  
burttheile des weiblichen Geschlechts, §. 35. i. G.  
WEISSE, praef. G. R. BÖHMER, de structura ute-  
ri non musculosa, sed cellulosa vasculosa. BLUMEN-  
BACHII Instit. physiolog. §. 538. AZZOGNITI  
de uteri constructione §. 22.*

bus autem adsentire non possumus, elasticitatem uteri per novem menses distenti, quam maxime fore labefactatam existimantes. Quare uteri sese contrahendi facultatem positam esse potius in ipsius irritabilitate censemus. Utero autem irritabilitatem denegandam non esse, breviter demonstrare conabimur.

### §. 36.

In iis solummodo organis, quibus irritabilitas concessa est, constrictiones spasticae possunt exoriri, quum igitur saepe uteri existant spasticae constrictiones, irritabilem eum esse negari nullo modo potest. Saepissime autem exoriuntur eiusmodi constrictiones, quae parturienti dolores parant, in partu auxilium ferentis manum comprimunt, ac singula foetus membra, uti DEVENTER, LEVRET, SCHLICHT, SMELLIE aliisque testantur, torquent. Quis igitur irritabilem esse uterum neget?

### §. 37.

Per affectum nervosum, e. c. per terorem laetitiam etc. maturiorem uteri constri-

strictionem videmus exoriri. Quam autem quum ex uteri tono explicare plane non possimus, ad irritabilitatem configiamus necesse est.

### §. 38.

Uterus vivis excisus per longum temporis spatium facultatem sese contrahendi retinet atque conservat. <sup>32)</sup> Profecto nisi praeter tonum sive elasticitatem alia inesset utero facultas, a corpore remotns, illico sese contrahere celsaret. Non nisi valde irritabiles corporis partes resectae, e. c. cor, intestina etc. sese contrahendi facultatem conservant, quare quum uterum eandem videamus consermare, iure eum irritabilibus partibus adnumerari censemus.

### §. 39.

32) HALLERI *Opuſc. anatom.* T.I. experim. 295. Laudata observatione eos, qui foetum post matris obitum in mundum editum, propria vi else enatum censeant, optime possumus refutare. Etenim quum per experimenta constet, uterum demortuæ gravidae se posse contrahere, cur, quaelo inepte est putandum, eum tunc quoque foetum, quem continet, excludere.

## §. 59.

HARVEY ulcroso uteri iniecit vitrioli albi solutionem, quo facto uterus durus atque eius os clausum reddebat. 33) Quid, quaeſo, certius irritabilem uterum eſſe poteris demonstrare?

## §. 40.

Iam autem adlata ſufficient, quorum, ut equidem cenſeo, tanta eſt probandi viſ, ut ii, qui irritabilem eſſe uterum dubitent, id ſine iure facere videantur. Quo confeſſo et fibris muscularibus praeditum eſſe uterum, non eſt, quod dubitemus; his enim ſolummodo irritabilitatem eſſe confeſſam, omnes proſitentur et physiologi et anatomici. Quare immortali cl. SÖMMERINGIO 34) omnino adſentior perhibenti, ex irritabilitate partium nonnullos ad eſſe iure colligi, licet ipſi propter teneritudinem non ſub ſenſus nostros cadant. Cl. WALTERUS, qui inter anato-

mi-

33) HALLERI *Elementa physiologiae*, T. VII. L. XXVIII.  
Sect. II. p. 60.

34) *Vom Bahe des menschl. Körpers*, Th. 3. S. 12. RIL.  
DEBRAND's *Lehrbuch der Anatomie*, §. 1034.

micos nostri aevi principatum tenet, se in  
utero musculos invenisse negabat quidem,  
quam tamen alii et physiologiae et anato-  
miae cultores se eosdem vidisse perhibuerint,  
non est, cur ipsos adesse non concedamus.  
Iam VESALIUS 35) uteri musculos esse do-  
cuit, idem etiam RUY SCH, 36) WEIT-  
BRECHT, 37) HALLER 38) al. WILH. HUN-  
TER musculos in utero contentos vidit et  
aeri incidi curavit. 39) Cl. WRISBERG 40)  
melius eos potuit videre, postquam uterus  
per viginti quatuor horas in nitri solutione  
commoraverat. Cl. LODER 41) ipsos et ob-  
servavit et ipsorum figuram nobiscum com-  
mu-

35) *De corporis humani fabrica*, p. 657.

36) *Adversaria anatomica*, Dec. II. c. 10. p. 34. III.  
tab. I. fig. 1.

37) *Nov. Comment. acad. Petropol.* I. p. 343.

38) L. c. p. 64. *Primae lineae physiologiae*, §. 843.

39) *Anatomie of the human gravidae uteris*, tab. 14. fig. 1.  
2. 3.

40) *Experimenta et observationes de utero gravidio etc.* §. 31.  
p. 36.

41) HAVENSCHILD *de musculosa uteri structura*. Ien.

municavit. Cl. MEIER musculos uteri egre-  
gie praeparatos possidet. 42) Praeter eos,  
quos iam laudavimus, et SANTORINI, 43)  
DIEMERBROECK, 44) VERHEYEN, 45)  
MEYER, 46) HENCHER, 47) BUCHWALD, 48)  
SUE, 49) ASTRUC, 50) LEVRET, 51) ROEDE-  
RER, 52) et HILDEBRANDT, 53) utero mus-  
culos esse perhibuere.

## §. 41.

42) Beschreibung des menschl. Körpers, Th. V. S. 215.  
Kupfertafel III. 10. fig. 4.

43) Observationes anatomicae, p. 215.

44) Anatomie corporis humani, L. I. c. 25. p. 237.

45) Anatomia corporis humani, I. cap. 25. p. 145.

46) Histoire de l' acad. des sciences de Paris, 1787. n. 24.

47) Ars magna. anatom. n. 63.

48) F. DE BUCHWALD ET CH. LUD. MOSSIN the-  
sum decades de musculo Ruyschii in uteri fundo.

49) Elements de Chirurgie, I. p. 114.

50) Des maladies des femmes, I. p. 5.

51) L'art des accouchemens, p. 45.

52) Elementa artis obstetriciae §. 45. 95. Icones uteri hu-  
mani, p. 7.

53) Lehrbuch der Anatomie des Menschen, §. 20.

~~longo habeat aperturam~~ §. 41.

Quum fibras musculares utero esse dubium non amplius admittere censemus, iam eo credit quaestio, in quam directione eundem percurrent. Plurimi anatomici contentiunt inter se, fibrarum muscularium alias, longitudinem uteri sequentes a fundo ad os uteri, alias vero latitudinem eiusdem inter se reticulatim commissas decurrere. In hac igitur structura uteri musculosa partus iusto et legitimo tempore accendentis causam ponendam ducimus.

§. 42.

Uterus gravidae post triginta sex a conceptione hebdomades, foetus sit vel minoris vel maioris voluminis, vel simplex vel duplex, quo quidem eius latitudo, non vero altitudo eiusdem potest augeri, usque ad cordis scrobiculum adscendit. Iam nobis videtur, fibras musculares cervicis uteri, qui firmiores atque numerosiores quam fundi sunt, tamdiu non extendi, quamdiu his extensionis spatium et locus non derogetur.

Quare



Quare uteri fundus ad trigesimam sextam hebdomadem contuino extenditur, quippe quod resistat ei, nihil inveniatur. Quo temporis spatio musculorum cervicis uteri a foetus capite valde compressorum vires magis magisque debiliores sunt redditae. Quodsi uteri fundus trigesima sexta hebdomade praeterlapsa ad cordis scrobiculum ascendit, extensionis locus non amplius ei datur, partesque, quas tangit, ita eundem irritant, ut sese debeat contrahere.

### §. 43.

Accedit, quod iam plexus nervorum mesentericus inferior irritetur, cum quo uterus per plexum mensentericum superiorem et per nervum sympatheticum magnum conneccus est; exorta igitur laudati plexus reactio-ne contractionibus iis laevioribus, quae ventrem paululum collabi faciunt, ansa prae-betur. Quibus autem per aliquod tempori-s spatiu-m continuis foetus turbatur atque vexatur ita, ut maiori vi in uteri cervicem agat. Quare uteri cervix, cuius vim in hac

gra-

graviditatis periodo paululum debilitatem else supra iam monuimus, partim foetu proprius accedente, partim contracto magis uteri fundo amplius extenditur. Quo magis autem cervix uteri extenditur, eo magis fundus vim suam potest exercere, ideoque fit, ut et sphincter orificii uteri distendatur. En primum partus dolorumque momentum!

### §. 44.

Postquam autem uteri sphincter extensus est, fundi contractiones increscentes foetum propellunt, eoque cedente uteri corpus quoque contrahitur. Quum a foetu compressa tum a fundo propulsa genitalibus externis proprius accedente uteri cervice vaginaque propter insignem dilatationem brevius reddita, ipse uterus foetum potest in mundum edere.

### §. 45.

Habes iam, benevole lector, hypothesin de partus causa a me excogitatam. Multa quidem, non ignoro, contra eandem posunt proferri, eam tamen non sine veri spe-

cie



cie esse contendere audeo. Primum enim ex eadem optime possumus explicare, cur omnis sanus partus praeter lapsis quadraginta hebdomatibus accedat. In omnibus sanis certa est singularum partium ratio, quare in quibuslibet gravidis quam altioris tum minoris corporis structurae eodem temporis spatio praeter lapsus fundus uteri ad cordis scrobiculum perveniet. Licet igitur singularum gravidarum corpora quam diversissima sint, tamen fieri non potest, quin eodem a concepto foetu praeter lapsus tempore partus in lucem edatur.

### §. 46.

Deinde quam per quotidiam experientiam evictum sit, omnes systema nervosum valde adscientes res partum posse accelerare, non ineptum videtur putare a fundo uteri irritatum nervorum plexum, quod graviores eiusdem contractiones efficit, ad foetum expellendum plurimum conferre. Compertum habemus, abortus esse factos a nimio terrore, a laetitia singulari, a vino

ni-



nimum hausto, a condimentis calidioribus adsumptis etc. Nonne singulae hae res systema nervosum irritando partum praematurum effecerunt?

### §. 47.

Demum fortiter contractis fundi uteri muscularis antagonistarum, scilicet muscularum cervicis uteri, resistentiam imminui tollece necesse est. Cedit igitur uteri cervix, foetusque a fundo protrusus viam arctissimam quidem, sed unice patentem petit, qua tandem in lucem perfertur.

At, iam satis est; ne lectorum benevolentorum patientiam defatigemus, operi nostro finem imponendum putavimus.

oris ngissima.

<i>ngui</i>	<i>Foetus involucra, liquor amnii, placenta.</i>
-------------	--

<i>nuci prominens mitra cir-</i>	
--------------------------------------	--

dig<sup>c</sup> prior longa.)

<i>am inclusum se- rve latus.</i>	Durantibus partus doloribus foetus involucra distenduntur et vesicae ad instar in os uteri apertum propelluntur, remittentibus illis, recedunt. Tandem vesica disrupta liquor, qui ante foetus caput commoraverat, defluit.
---------------------------------------	---

T A B U L A  
P E R I O D O S S A N I P A R T V S S I S T E N S.

I. P E R I O D U S.

(A primis partus doloribus per id temporis spatium, in quo uteri orificium duorum digitorum est continua et longissima.

Dolores.	Uteri conditio.	Muci sanguinisque fluxus ex genitalibus.	Commutationes aliarum partium parturientis.	Foetus fitus.	Foetus involucra, liquor amnii, placenta.
Haud graves; interdum in sensu contractionis commutati; primiparum non raro plares ante partum dies accidentes.	Uterus altius semper in pelvem descendens, labis uteri explanatis oriens uteri extero vix explorando. Ubi duplex foetus conceptus, ipsam uteri cervicem lape non invenerimus.	Magna muci copia fecedens.	Abdome altius demifusum; infinges muscularorum abdominalium durantibus partus doloribus contractiones ad parturientis faciem non raro extenfi.	Caput foetus durum prominens interna vaginæ parte, uti mira circumseptum.	

II. P E R I O D U S.

(Ab eo tempore, in quo uteri orificium duorum digitorum est, incipiens, usque ad aquarum fluxum persistens; aequa ac prior longa.)

Graviores redditi ad pubis regi- onem et ad crura extenduntur.	Fundus uteri gravias contractas. Orificium uteri ad quinque digi- tos dilatatum.	Mucus iam sanguine tinctus ex- cernitur.		Caput involucris inclusum fe- runt ad uniusrum dextrum latus.	Durantibus partus doloribus fo- tus involucro distenduntur et velice ad instar in os uteri apertum propel- luntur, remittentibus illis, recedunt. Tandem velice disrupta liquor, qui ante foetus caput commoraverat, de- fuit.
---	--	---	--	--	--

III. P E R I O D U S.

(Complectitur id temporis spatium, quod inter aquarum defluxum capitisque foetus pone pudendorum labia accessum est, tres horas non excedit.)

Multim adserci a tergo usque ad pedes, non raro trementes, exten- duntur.	Fundus uteri maior, quam antea, vi agit. Orificium uteri secum leviter supra foetus caput retrahitur.	Maior sanguinis copia debuit.	Facie rubor increbit, arteria- rum pulsus acceleratur, parturient fu- dorem demittit.	Caput altius in pelvem demisum eiudem fronte in parturientis pro- motonum prominent. Capitis os, ubi futurae sunt, altera super altera comprimuntur. Eisdem inequum- ta plicantur. (In hac periodo tumo- rum capitis origo est querenda.)	
--	--	-------------------------------	---	---	--

IV. P E R I O D U S.

(A capite primum viso usque ad partus finem perdurans, non longius semihora spatium imo in primiparis persistens.)

Gravissimi sunt, ita ut parturi- entes non raro alte clamitare, omnia tractiones celeriter fese excipientes.	Fortificatae iam fusi uteri con- tractantes non raro adhuc adhuc.		Tenuissus et unica retinac ex- teriorum. Perinæum graviter disten- ditur, carunculae myriiformes eva- necent.	Iam doloribus partus persistenti- bus contractus uter non sub- tenus eadit, oscipe tangentem, solen- derum arcum, facie perirent, pre- stante. Iipsum vel dextrorum vel li- nistrosuin convertit, quem statum humeri quoque accepimus. Quo facto doloribus novis acceditibus reliqua etiam foetus partes in mundum na- scuntur.	Refluxus liquor defluit.
--	--	--	--	--	--------------------------

V. P E R I O D U S.


(Infante nato usque ad enatam placentam spatium unus horae est.)

Contractiones uteri dolores non concurrent.	Uteri moles ad quatuor pugnos imminuitur.	Sanguinis fluxus, cum pauco muci remixtus, adactus.			Placenta et membranae, quibus foetus inclusus fuerat, provenient.
--	--	--	--	--	--



11.1.1.2  
LUDVICO PISANI MUSICA  
1598





KD18  
PICA



VI.  
Formulae, quae medicamina antisthenica  
necis juncta simul, continent; sana theoria  
lica rejiciuntur.

VII.



45

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**PHYSIOLOGIA  
PARTVS.**

QVAM ANNVENTE  
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA  
HALENSI  
ERVDITORVM EXAMINI  
S V B I I C I T,  
DIE XXX. IAN. MDCCC.  
AVCTOR  
**CAROLVS ERNESTVS GVILIELMVS  
STRUVE,**  
PRIMIS LAVIA - UCAROMARCHICUS  
GOETTINGENS. ART. OBSTETR. AMANT.  
ET  
SOCIETATIS SOTERICAE GOTTINGENS. SODALIS.

HALAE,  
TYPIS IO. CHRIST. HENDELII.